

DIE XIV. DECEMBRIS.

Septima die infra Octav. Conceptionis B. Mariæ.

In j. Noct. Lectiones de Scriptura occurrente.

Si autem hæc die occurrat Feria iv. Quatuor Temporum, tunc in j. Noct. legenda sunt Lectiones de Parabolis Salomonis. Ego sapientia, ut in Festis B. M. cxliij. cum q. ut in Festo Conceptionis. 426.

In secundo Nocturno.

Ex Epistola S. Ambrōsij Episcopi ad Siricum Papam.

Lectio iv. Ep. 81. al. 7.

De via perversitatis prodūntur dicere: Virgo concepit, sed non virgo generavit. Pōtuit ergo virgo concipere, non pōtuit virgo generare, cum semper conceptus præcedat, partus sequatur? Sed si doctrinis non creditur sacerdotum, credatur oraculis Christi, credatur monitis Angelorum dicentium: Quia non est impossibile Deo omne verbum. Credatur Symbolo Apostolorum, quod Ecclesia Romana intemeratam semper custodit et servat. Audivit Mariæ vocem Angeli, et quæ ante dixerat: Quomodo fiet istud? non de fide generationis interrogans, respondit postea: Ecce ancilla Domini: contingat mihi secundum verbum tuum.

¶ Conceptio gloriōsa.

Ex libro sancti Hieronymi Presbyteri adversus Jovinianum.

Lectio v.

Ex Apol. ad Pammach.

Chaustus virgo, mater virginis nostri virgo perp̄tua, mater et virgo. Jesus enim clausis ingressus est ostiis; et in sepulchro ejus, quod novum et in petra durissima fuerat excisum, nec antea quis, nec postea p̄situs est. Hortus conclusus, fons signatus: de quo fonte ille fluvius manat, juxta Joel, qui fringat torrentem vel f̄nium, vel spinarum: f̄nium peccatorum, quibus ante alligabamur: spinarum, quæ suffocant sem̄ntem patrisfamilias. Hæc est porta Orientalis, ut ait Ezechiel, semper clausa, et lucida, op̄riens in se, vel ex se proferens Sancta sanctorum: per quam sol justitiæ et Pontifex noster secundum ordinem Melchisedech ingreditur et egreditur.

¶ Cum jucunditate.

Ex libro sancti Irenæi Episcopi et martyris adversus hereses.

Lectio vi. l. 3. c. 19.

In sua propria veniente Domino, et sua propria eum bajulante conditione, quæ bajulatur ab ipso, et recapitulatiōnem ejus, quæ in ligno fuit inobediētiæ, per eam quæ in

ligno est, obediētiā faciente, et seductiōne illa soluta, quæ seducta est male illa, quæ jam viro destinata erat virgo Heva, per veritatem evangelizata est bene ab Angelo jam sub viro virgo Mariæ. Quemadmodum enim illa per angelicum sermonem seducta est, ut effugeret Deum; prævaricata verbum ejus: ita et hæc per angelicum sermonem evangelizata est, ut portaret Deum, obediens ejus verbo. Et sicut illa seducta est, ut effugeret Deum; sic hæc suasa est obedire Deo; ut virginis Hevæ virgo Mariæ fieret advocata. Et quemadmodum adstrictum est mortegenus humanum per virginem, solvatur per virginem: aqua lance disposita virginis inobediētiæ, per virginalem obediētiā. ¶ Conceptio tua.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelij secundum Matthæum.

Lectio vii. Cap. 1.

Linea generatiōnis Jesu Christi filii David, filii Abraham. Abraham genuit Isaac. Isaac autem genuit Jacob. Et reliqua.

De Homilia S. Joannis Chrysostomi.

Unde supra, paulo post.

Cursus vero rei gratia librum ipsum generatiōnis Christi vocat, ubi non sola utique generatio,

sed tota prorsus ipsius mysterij dispensatiō continetur? quia totius scilicet dispensatiōnis caput, radix atque principium omnium nobis in hoc consistit bonum. Ut enim Moyses librum celi appellavit ac terræ, cum certe non de celo solum terræque loqueretur, sed de cunctis quæ inter ipsa subsistunt: etiam Evangelista ab ipso omnium fonte et capite bonum librum vocavit.

¶ Beata me dicent.

Lectio viij.

Qua vero de causa non eum ante filium Abraham, et postea filium David nuncupavit? Non, sicut opinantur aliqui, ad inferioribus volens ad superiora ascendere. Ceterum fecisset quod fecit et Lucas: nunc autem e contrario facit. Cur ergo commemoravit priorem David? Quia ipse procul dubio in omnium versabatur ore, ob insignie honoris et gloriæ, ob ipsius quoque temporis spatia junctiora. Etsi enim utriusque promiserat Deus, sed tamen illud quasi antiquum retinebatur, hoc vero quasi novum et recens ab omnibus celebrabatur.

¶ Felix namque es.

¶ Si fuerit in Quatuor Temporibus, Lectio ix. legitur de Homilia Feria ejusdem. Alias

LECTIO IX. **De** **Conceptione** **sanctae** **Mariae**. **Oratio.** Famulans nuncq; Judaei dicunt : Nonne ex semine David, et Bethlehem castello, unde erat David, venit Christus? Nemo igitur illum filium Abrahae, sed omnes filium David nominabant : qui etiam honorabiliores quosque de sanctitate reges, qui post David fuisse referuntur, ab illo omnes vocabant. Nec ipsi solum, verum etiam Deus : nam et Ezechiel et alii prophetae dicunt, David surrecturum esse eis, atque venturum, non de illo utique mortuo, jam loquentes, sed de eis, qui illius virtutem erant imitaturi. Propterea igitur a notiore in terim, et celebratiori persona sumit exordium, et tum demum ad antiquiorem recurrit parentem, ut Deum laudamus. **17.** **In Laud.** **fit** **com. Feria** **Ad Vesperas Duplex** **et** **omnia dicuntur sicut in j. Vesperis Festi, 423.** **Cum** **commem. Feria.** **atq; Si dies Octava Conceptionis B. M. V. incidit in Dominicam iij. Adv. fit Officium de Dilecta, hoc modo Vesperas in Sabbato praed. dicuntur de Lemia, ut in Psalterio scilicet Aña. Benedictus, Psalmi de Sabbato et a Capit. fit de Dilecta, cum commem. Diei Octavae, ut in i. Vesp. Festi. Aña. Gloriosa vir-**

ginis. **Concepcio** **est** **hodie** **sanctae** **Oratio.** Famulans tuis, sine suffragiis consuetis, et precibus propter Oct. **Sequenti die fit de Dominica predicta, cum** **comm. Octava in Laud.** **et in j. Vesperis, et non dicuntur suffragia, nec Preces ad Primam et Completorium.** **DEI XV. DECEMBRIS.** **Octava Conceptionis B. Mariae. Duplex.** **Nocturno Lectiones de Scriptura occurrunt. Si autem haec die occurrat Feria IV. Quatuor Temporum, Lectiones j. Noct. legantur, Ego sapientia, cxlij. cum qd. ut in Festo Conceptionis, 426.** **In secundo Nocturno De Expositione S. Gregorii Papa in libros Regum. Lectio IV. In 1. Reg. 4.** **Fuit** **vir** **unus** **de** **Ramathaim** **Sophim,** **de** **monte** **Ephraim.** **Potest** **hujus** **montis** **nōmine** **beatissima** **semper** **virgo** **Maria** **Dei** **Gēnitrīx** **designari.** **Mons** **quippe** **fuit,** **quomnem** **electae** **creaturae** **alitudinem** **electionis** **suae** **dignitate** **transcēdit.** **Annōn** **mons** **sublimis** **Maria,** **quae** **ut** **ad** **conceptionem** **aeterni** **Verbi** **pertingeret,** **meritorum** **verticem** **supra** **omnes** **Angelorum** **choros,** **usque** **ad** **solum** **Deitatis** **erexit?** **Hujus** **enim** **mon-**

tis praecellentissimam dignitatem Isaiaus vaticinans, ait : Erit in novissimis diebus preparatus mons domus Domini in vertice montium. Mons quippe in verticem montium fuit, quia altitudo Mariae supra omnes Sanctos refluxit. **Concepcio.** **Ex** **Epistola** **S. Leonis** **Papae** **ad** **Pulcheriam** **Augustam.** **Lectio V. Ep. 15. ante med.** **SACRAMENTUM** **reconciliatiōnis** **nostrae** **ante** **tempora** **aeterna** **dispositum,** **nulla** **implēbant** **figurā** **quia** **nondum** **supervenerat** **Spiritus** **sanctus** **in** **Virginem,** **neq; virtus** **Altissimi** **obumbraverat** **ei,** **ut** **intra** **intemerata** **viscera,** **adificante** **sibi** **Sapientia** **domum,** **Verbum** **caro** **fieret,** **et** **forma** **Dei** **ac** **forma** **servi** **in** **unam** **conveniētem** **personam,** **Creator** **temporum** **nasceretur** **in** **tempore,** **et** **per** **quod** **facta** **sunt** **omnia,** **ipse** **inter** **omnia** **gigneretur.** **Nisi** **enim** **novus** **homo,** **factus** **in** **similitudinem** **carnis** **peccati,** **nostram** **susciperet** **vetustatem,** **et** **consubstantialis** **Patri** **consubstantialis** **esset** **dignaretur** **et** **matri,** **naturamque** **sibi** **nostram** **solus** **a** **peccato** **iber** **uniret;** **sub** **jugo** **diaboli** **generaliter** **teneretur** **humana** **captivitas.** **Cum** **juventute.**

De **Expositione** **S. Basilio** **Episcopi** **in** **Isaiam** **Prophetam.** **Lectio VI. In c. 8. accessit,** **inquit,** **ad** **verticem** **montium,** **et** **in** **utero** **accēpit,** **et** **percepit** **filium.** **Quod** **Maria** **prophetissa** **fuerit,** **ad** **quam** **proxime** **accessit** **Isaia** **per** **praenotionem** **spiritus,** **nemo** **contradixerit,** **qui** **sit** **memor** **verbōrum** **Mariae,** **quae** **prophētico** **aflata** **spiritu** **elocuta** **est.** **Quid** **enim** **ait?** **Magnificat** **anima** **mea** **Dōminum;** **et** **exultavit** **spiritus** **meus** **in** **Deo** **salutari** **meo;** **quia** **respexit** **humilitatem** **ancillae** **suae;** **ecce** **enim** **ex** **hoc** **beatam** **me** **dicent** **omnes** **generationes.** **Quod** **si** **animus** **acommodaveris** **universis** **eis** **verbis,** **non** **utique** **contentiose** **negaveris** **eam** **fuisse** **prophetissam,** **quod** **Dōmini** **Spiritus** **in** **eam** **supervenerit,** **et** **virtus** **Altissimi** **obumbraverit** **ei.** **Concepcio** **tua.** **In** **tertio** **Nocturno.** **Lectio** **sancti** **Evangelii** **secundum** **Matthaeum.** **Lectio** **vij** **Cap. 1.** **In** **ter** **generationis** **Jesu** **Christi** **filiū** **David,** **filiū** **Abraham** **Abraham** **gēnuit** **Isaac,** **Isaac** **autem** **gēnuit** **Jacob.** **Et** **reliqua.** **De** **Homilia** **S. Joānnis** **Christostomi.** **Quo** **sunt** **quae** **pariunt** **quaestionem.** **Unum,**

quæ causa sit, ut in generatiõnum catálogo Virgo sileatur: alterum vero, quæ ratiõne Joseph memorètur, cui certe nihil cum Christi generatiõne est commune. Videtur enim et unum abundare, et alterum deesse. Quid ergo dicemus? quod utique primum illud necesse fuerit memorari, quemadmodum ex David Virgo descendèrit. Unde hoc itaque discemus? Audi ad Gabriel loquentem Dòminum: Vade ad Virginem desponsatam viro, cui nomen Joseph, ex domo et familia David. Quid vis audire manifestius, cum ex domo et familia David illam Virginem esse cognoscas? *¶* Beatum.

Lectio viij.

Nox erat mos apud Hebræos, generatiõnum catálogo per fémimas tætere. Ut ergo et morem custodiret (ne in ipso statim principio videretur antiqua destrudere), et nobis Virginem certum indicaret: parentes eius indicens atque majores, de Joseph generatiõne non tacent. Sive enim hæc fecisset in Virgine, novitatis non effugisset invidiam: sive Joseph reticisset, non agnosceremus ex qua tribu Virgo subsisteret. Ut ergo et nos discernereamus, quæ esset Maria, vel unde; et con-

suetudo legis permaneret immòbilis, generatiõnum catálogo usque ad sponsum ejus perdòxit, ac de domo illum David esse monstravit.

¶ Felix namque es.

Si fuerit in Quatuor Temporibus, Lectio ix. erit de Homilia Feria ejusdem. Alias.

Lectio ix.

Hoc enim declarato, illud quoque pariter ostendit, quod scilicet inde esset et Virgo: quia utique nequaquam justus iste pateretur uxorem sibi aliunde, quam unde lex præcipiebat, eligere. Possumus vero aliam quoque et altiorem quidem profèrre ratiõnem, ob quam parentes Virginis præmissi sunt. Sed quæ ea est? Nòluit Evangelista recenti adhuc tempore novillius admirandique partus Judæis esse manifestum, quod Christus natus fuisset ex Virgine. Neque proprius noster hic sermo est, sed a nobis de Patrum tunc insignium viròrum traditione susceptus.

Te Deum laudamus. 47.

In Laud. fit com. Feria.

In ij. Vesperis omnia ut

in ij. Vesperis Festi, cum

com. sequentis et Feria.

DIE XVI. DECEMBRIS.

In Festo sancti Eusebii

Episc. et Mart.

Semiduplex.

Ant. Iste. 9. Glória.

Oratio.

Drus, qui nos beati Eusebii Màrtiris tui atque Pontificis ànnua solemnitate lætificas: concede propitius; ut, ejusdem etiam protectione gaudeamus. Per Dñum.

Deinde fit com. Feria.

In j. Nocturno Lectio-

nes de Scriptura occur-

Sed si fuerit in Quatuor

Temporibus, Lect. j. Noct.

erunt, A Milèto, de Com-

muni unius Mart. xiiij.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Eusebius natione Sardus,

et Romane urbis Lector,

post Vercellensis Episcopus,

ad hanc regendam

Ecclèsiam merito est cre-

ditus divino electus judi-

cio: nam quem nunquam

ante constituti electores

cognoverant, posthabitis

civibus, simul ut viderunt,

et probaverunt, tantum-

que interfuit, ut proba-

retur, quantum ut videret-

ur. Primus in Occidentis

partibus in eadem Ecclèsia

eòsdem monachos insti-

tuit esse, quos Clericos, ut

esset in ipsis viris et

contemptus rerum, et ac-

curatio Levitarum. Ariani

impietibus ea tempe-

state per Occidentem longe

lateque traductis, adver-

sus eas viriliter sic dimi-

cavit, ut ejus invicta fides

Libèrium Summum

Pontificem ad vitæ solâ-

tium erigeret. Quare hic sciens, in ipso fervere Spiritum Dei, cum ei significasset, ut penes Imperatorem una cum suis legatis patrocinium fidei susciperet, mox cum illis profectus est ad Constantium, apud quem enixius agens, quidquid legationis petebatur, obtinuit, ut Episcoporum nempe cœtus celebraretur.

¶ Honestum fecit.

Lectio v.

COLLECTUM est Mediolanò Anno sequenti Concilium, ad quod Constantio invitatum Eusebium concupitumque, ac vocatum a Libèri legatis, tantum abest, ut malignantium synagoga Ariànorum contra sanctum Athanasium furentium, in suas partes adduceret, ut pòtus diserte statim ipse declarans, et presentibus quosdam sibi compertos hæretica labe pollutos, Nicænam imò fidem posterit iis subscribendam, antequam cetera tractarentur. Quod Ariani acerbè iratis negantibus, nedum in Athanasium recusavit ipse subscribere, quin sancti Dionysii martyris, qui deceptus ab ipsis subscripserat, captivam simplicitatem ingeniosissime liberavit. Quamòrem illi graviter indignantes, post multas illatas injurias, exilio il-

lum mulctarunt: sed sanctus vir excessu pulvere, nec Casaris minas veritus, nec enses obstrictos, exilium veluti sui ministerii officium accepit: missusque Scythopolim, famem sitim, verbera, diversaque supplicia perpessus, pro fide strenue vitam contempsit, mortem non metuit, corpus carnificibus tradidit. *¶* Desiderium.

Lectio vi.

QUANTA in eum tunc Arianorum crudelitas fuerit, ac effrons inrecredulitas, ostendunt graves litteræ plenæ roboris, pietatis, ac religionis, quas e Scythopoli scripsit ad Verceilensem Clerum, et populum, aliisque finitimos; e quibus etiam est exploratum, ipsorum nec minis, inhumanaque sævitiâ potuisse unquam eum deterreri, nec serpentina blanda subtilitate ad eorum societatem perducî. Hinc in Cappadociam, postremoque ad superiores Egypti Thebaidas præ constantia sua deportatus, exilii rigores tulit ad mortem usque constantii, post quem ad gregem suum reverti permissus, non prius redire voluit, quam reparandis fidei iacturis ad Alexandrinam Synodum sese conferret, postque medici præstantis instar pæragrans Orientis provincias,

in fide infirmos ad integram valetudinem restitueret, eos instituens in Ecclesiæ doctrina. Inde salubritate pari digressus in Illyricum, tandemque in Italiam delatus, ad ejus reditum lugubres vestes Italiam mutavit: ubi postquam Psalmorum omnium expurgatos a se commentarios Origeneis edidit, Eusebiique Casareensis, quos verterat de Græco in Latinum: demum tot egregie factis illustris ad immarcescibilem gloriæ coronam tantis ærnmnis promeritam sub Valentiniano, et Valente, Vercellis migravit. *¶* Stola.

In iij. Noct. Homilia in Evangelium, Si quis vult post me venire, de Communi Mart. ij. loco xxxiv. *¶* viij. Dômine prevenisti. xxx.

Si fuerit in Quatuor Temporibus, Lectio ix. Legitur de Homilia Feriæ ejusdem, cum com. in Laudibus.

¶ De Vig. S. Thomæ Apost. nihil fit, nisi in Missa.

DIE XXI. DECEMBRIS.

In Festo S. Thomæ

Apostoli.

Duplex ij. Classis.

Omnia de Comm. Apostolorum. ij. præter seq.

Ad Magnificat in utrisque.

Vesperis, et ad Benedictus in Laud. Añ. Quia vidisti me, Thoma, credidisti me, beati qui non viderunt, et crediderunt, alleluia.

Oratio.

DA nobis, quasumus Dômine, beati Apostoli tui Thomæ solemnitatibus gloriari: ut ejus semper et patrocinii sublevemur, et fidem cõgrua devotione sectemur. Per Dôminum nostrum.

Et fit Comm. Feriæ Adv. Añ. O.

In j. Nocturno Lectioes, Sic nos existimet, de Communi Apostol. vj.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

THOMAS Apostolus, qui et Didymus, Galilæus, post acceptum Spiritum sanctum, in multas provincias profectus est ad prædicandû Christi Evangelium: Parthis, Medis, Persis, Hyrcanis, et Bactris christiana fidei et vite præcepta tradidit. Postremo ad Indos se confertens, eos in christiana religione erudit. Qui ad extremum, vite doctrinæque sanctitate, et miraculorum magnitudine, cum ceteris omnibus sui admirationem, et Jesu Christi amorem commovisset, illius gentis regem, idolorum cultorem, magis ad iram accendit: ejus sententia condemnatus, telisque confossus, Calaminæ Apostolatus honorem martyrii coronâ decoravit.

¶ Vidi conjunctos, de Communi. ix.

PARS HIEMALIS.

Lectio v. Scriptum est. Lectio vj. Quot ergo de Communi. viij. cum seq. v. et vj. lbid.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio vij. c. 20. f.

In illo tempore: Thomas unus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis quando venit Jesus. Et reliqua.

Homilia sancti Gregorii Papæ.

Ex Hom. 26. in Ev.

QUOD, fratres charissimi: quid inter hæc animadvertitis? Numquid casu gestum creditis, ut electus ille discipulus tunc deesset, post autem veniens, audiret, audiens dubitaret, dubitans palparet, palpans crederet? Non hoc casu, sed divina dispensatione gestum est. Egrediamque mihi modo superna clementia, ut discipulus ille dubitans, dum in magistro suo vulnera palparet, in nobis vulnera sanaret infidelitatis. Plus enim nobis Thomæ infidelitas ad fidem, quam fides credentium discipulorum profuit: quia dum ille ad fidem palpando rediret, nostra mens, omni dubitatione postposita, in fide solidatur.

¶ Isti sunt qui viventes in carne, plantaverunt Ecclesiam sanguine suo: Calicem Dômini biberunt,

et amici Dei facti sunt.

1. In omnem terram exiit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum. Calicem Dómini bibérunt.

Epist. Lectio viij.

Sic quippe discipulum Dóminus post resurrectionem suam dubitare permisit, nec tamen in dubitatione deseruit: sicut ante nativitatem suam habere Mariam sponsam voluit, qui tamen ad ejus nuptias non pervénit. Nam ita factus est discipulus dubitans et palpans, testis veræ resurrectionis, sicut sponsus matris fuerat custos integerrime virginitatis. Palpavit autem, et exclamavit: Dóminus meus, et Deus meus. Dicit ei Jesus: Quia vidisti me, credidisti. Cum Paulus Apóstolus dicat: Est autem fides sperandarum substantiarum rerum, argumentū non apparentium; profecto liquet, quia fides illarum rerum argumentum est, quæ apparere non possunt. Quæ etenim apparent, jam fidem non habent, sed agnitionem. **¶** Isti sunt viri sancti, quos elegit Dóminus in charitate non ficta, et dedit illis gloriam sempiternam: **¶** Quorum doctrina fulget Ecclesiæ, ut sole luna. **¶** Sancti per fidem vicérunt regna, operati sunt justitiam. Quorum gloria Patri. Quorum.

Lectio ix.

Dux ergo vidit Thomas, dum palpavit, cur ei dicitur: Quia vidisti me, credidisti? Sed aliud vidit, aliud credidit. A mortali quippe hómine divinitas videri non potuit. Hóminem ergo vidit, et Deum confessus est, dicens: Dóminus meus, et Deus meus. Videndo ergo credidit, qui considerando verum hóminem, hunc Deum, quem videre non poterat, exclamavit. Lætificat valde quod sequitur: Beati qui non viderunt, et crediderunt. In qua nimirum sententia nos specialiter signati sumus, qui eum, quem carne non vidimus, mente retinémus. Nos signati sumus: sed si fidem nostram operibus sequimur. Ille etenim vere credit, qui exercet operando quod credit.

Te Deum laudamus. 47.

¶ Si vero hoc Festum occurrat in Quatuor Temporibus, Lectio ix. legitur de Homilia illius Feriæ.

¶ In Laud. fit com. Adv. **¶** *Ant.* Nolite timere: quinta enim die venit ad vos Dóminus noster. **¶** Vox clamantis, et Oratio ut in Adventu.

¶ Si hoc Festum transferatur, *Ant.* Nolite timere, dicitur ad Benedictus in Dñica, loco *Ant.* Ave Maria, et in Officio S. Thomæ pro comm. Adv. ponitur

Ant. Feriæ ij. Dicit Dóminus: Pœnitentiam agite: appropinquavit enim regnum cœlorum, alleluia. **¶** Vox clamantis.

¶ FESTA JANUARIJ.

¶ Prima die non impeditur dicitur Officium Defanctorum.

¶ DIE XI. JANUARIJ.

¶ Sancti Hygini Papæ et mart. fit commemoratio infra Oct. Epiph. **¶** Ad Vesperas, *Ant.* Iste. **¶** Glória.

¶ Oratio.

INFIRMITATEM nostram respice, omnipotens Deus: et quia pondus propriæ actionis gravat, beati Hygini martyris tui atque Pontificis intercessio gloriôsa nos præteget. Per Dóminum nostrum.

¶ Ad Laudes, *Ant.* Qui odit. **¶** Justus.

¶ DOM. II. POST EPIPH. in Festo SS. Nominis

JESU.

¶ Duplex ij. Classis.

¶ Occurrente Dñica Septuag., reponitur hoc Festum (quoad Officium) in diem xxvij. Januarij, tanquam in sedem propriam (translato quocumque alio Festo, si altuubi occurrat, nisi sit altioris ritus), et tunc legitur Lectio ix. de S. Agnetæ secundo, et fit de ea commem. in Laud. tantum. Ita decrevit Sac. Rit. Congr.

¶ Sed advertendum est, quod in fine *ff. A. R. et*

Ant. arum, omittendum erit Alleluia: similiter et in *Ant.* br. Horarum, quia erit post Septuag.

¶ Ad Vesperas, *Ant.* **¶** Omnis qui invocaverit nomen Dómini, salvus erit. **¶** Psalmus. Lixit Dóminus, cum reliq. de Dñica: 152. et loco ult. *Psalm.* Credidit. 156.

¶ Sanctum et terribile nomen ejus, initium sapientia timor Dómini.

¶ Ego autem in Dómino gaudebo, et exultabo in Deo Jesu meo.

¶ A solis ortu usque ad occasum, laudabile nomen Dómini.

¶ Sacrificabo hóstiam laudis, et nomen Dómini invocabo.

¶ Capitulum. *Philip.* 2.

FRATRES, Christus humilitatis, Christum humilitatis, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen: ut in nómine Jesu omne genu flectatur.

¶ Hymnus.

Jesu dulcis memoria, Dans vera cordi gaudia:

Sed super mel, et omnia, Ejus dulcis præsentia, Nil cœnitus suavius, Nil auditur jucundius, Nil cogitatur dulcius, Quam Jesus Dei Filius.

Jesu spes penitentibus!
 Quam pius es petentibus!
 Quam bonus te querentibus!
 Sed quid inveniētibus!
 Nec lingua valet dicere;
 Nec littera exprimere:
 Expertus potest credere,
 Quid sit Jesum diligere.

Sis, Jesu, nostrum gaudium,
 Qui es futurus primum:
 Sit nostra in te gloria,
 Per cuncta semper saecula, Amen.

§ Sit nomen Domini benedictum, alleluia. ¶ Ex hoc nunc, et usque in saeculum, alleluia.

Ad Magnificat, Añā.
 Fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen ejus, alleluia.

Oratio.

DEUS, qui unigenitum Filium tuum constituisti humani generis Salvatorem, et Jesum vocari jussisti: concede propitius; ut, ejus sanctum Nomen veneramur in terris, ejus quoque aspectu perfruamur in caelis. Per eundem Dominum.

Et sit com. Dñice.

Ad Complet., et per Horas in sine Hymn. dicitur:
 Jesu, tibi sit gloria,
 Qui natus es de Virgine.

Ad Matutinum. Invitat.
 Admirabile Nomen Jesu, quod est super omne nomen, * Venite adoremus.
Psalmus. Venite, exultemus. 2.

Hymnus.

Jesu Rex admirabilis,
 Et triumphator nobilis,
 Dulcedo ineffabilis,
 Totus desiderabilis:
 Quando cor nostrum visitas,

Tunc lucet ei veritas,
 Mundi vilēscit vanitas,
 Et intus fervet caritas,
 Jesu dulcedo cordium,
 Fons vivus, lumen mentium,

Excedens omne gaudium,
 Et omne desiderium.

Jesum omnes agnoscite,
 Amorem ejus pōscite:
 Jesum ardenter querite,
 Querendo inardescite.

Te nostra, Jesu, vox sonet,

Nostri tēte mores expriment,

Te corda nostra diligant,
 Et nunc, et in perpetuum, Amen.

In primo Nocturno.

Añā. Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra!

Psalmi Nocturnorum ut in Festis B. M. cxlj. Sed Psalmus primus incipitur a secundo. Quoniam elevata est.

Añā. In nomine Jesu omne genu flectatur caelestium, terrestrium, et infernorum.

Añā. Confitemini Domino, et invocate nomen ejus: mementote, quoniam excelsus est nomen ejus.

§ Propter nomen tuum

Domine, propitiaberis peccato meo. ¶ Multum est enim.

De Actibus Apostolorum.

Lectio i. Cap. 5.

Petrus autem et Joannes ascendebant in templum, ad horam orationis nonam. Et quidam vir, qui erat claudus ex utero matris suae, bajulabatur: quem ponebant quotidie ad portam templi quae dicitur Speciosa, ut peteret eleemosynam ab introitibus in templum. Is cum vidisset Petrum et Joannem incipientes introire in templum, rogabat ut eleemosynam acciperet. Intuens autem in eum Petrus cum Joanne, dixit:

Respice in nos. At ille intendebat in eos, sperans se aliquid accepturum ab eis. Petrus autem dixit: Argentum et aurum non est mihi: quod autem habeo, hoc tibi do: In nomine Jesu Christi Nazareni surge, et ambula. Et apprehensa manu ejus dextera, allevavit eum, et protinus consolidata sunt bases ejus, et plantae. Et exiliens stetit, et ambulabat: et intravit cum illis in templum, ambulans, et exiliens, et laudans Deum.

¶ Ecce concipies, et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum: * Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eo-

rum. § Vocatum est nomen ejus Jesus, quod vocatum est ab Angelo, priusquam in utero conciperetur. Ipse.

Lectio ij.

Et vidit omnis populus eum ambulantem, et laudantem Deum. Cognoscabant autem illum, quod ipse erat, qui ad eleemosynam sedebat ad Speciosam portam templi: et impleti sunt stupore et exlasi in eo quod contigerat illi. Cum teneret autem Petrum et Joannem, cucurrerit omnis populus ad eos ad porticum quae appellatur Salomonis, stupentes. Videns autem Petrus, respondit ad populum: Viri Israelitae, quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quasi nostra virtute aut potestate fecerimus hunc ambulare? Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob, Deus patrum nostrorum, glorificavit Filium suum Jesum, quem vos quidem tradidistis, et negastis ante faciem Pilati, iudicantis illo dimitti. Vos autem sanctum et justum negastis, et petistis virum homicidam donari vobis: auctorem vero vitae interfecistis, quem Deus suscitavit a mortuis, cuius nos testes sumus. Et in fide nominis ejus, hunc, quem vos vidistis et nostis, confirmavit nomen ejus:

et fides, qua per eum est, dedit integram sanitatem istam in conspectu omnium vestrum.

Benedictum est nomen tuum, Deus patrum nostrorum, qui cum iratus fueris, misericordiae recordaberis, * Et in tempore tribulationis peccata dimittis. **V.** Et benedictum nomen maiestatis tuae in aeternum, qui facis mirabilia solus. Et.

Lectio ij. Cap. 4.

Factum est autem in crastinum, ut congregarentur principes eorum, et seniores, et Scribae in Jerusalem; et Annas princeps sacerdotum, et Caiphas, et Joannes, et Alexander, et quotquot erant de genere sacerdotali. Et statuentes eos in medio, interrogabant: In qua virtute, aut in quo nomine fecistis hoc vos? Tunc repletus Spiritu sancto Petrus, dixit ad eos: Principes populi, et seniores audite: Si nos hodie didicistis in benefacto hominis infirmi, in quo iste salvus factus est, notum sit omnibus vobis, et omni plebi Israel: quia in nomine Domini nostri Jesu Christi Nazareni, quem vos crucifixistis, quem Deus suscitavit a mortuis, in hoc iste astat coram vobis sanus. Hic est lapis, qui reprobatus est a vobis edificandus,

qui factus est in caput anguli: et non est in alio aliquo salus. Nec enim aliud nomen est sub caelo datum hominibus, in quo oportet nos salvos fieri. **V.** Laudabo nomen tuum assidue, * Et collaudabo illud in confessione. **V.** Laetaboret exultabo in te: psallam nomini tuo Altissime. Et. Gloria Patri. Et.

In secundo Nocturno.

Añ. Memores erunt nominis tui, Dñe, in omni generatione et generationem. **Añ.** Magnificate Dñum mecum, et exaltemus nomen ejus in idipsum.

Añ. Omnes gentes, quas cumque fecisti, venient, et adorabunt coram te, Domine, et glorificabunt nomen tuum.

V. Propter gloriam nominis tui, Domine, libera nos. **Añ.** Et propitius esto peccatis nostris, propter nomen tuum.

Sermo sancti Bernardi Abbatis.

Lectio ij.

Serm. 15. super Cant.

Non otiose Spiritus sanctus oleo comparat, cum ita docet sponsam ad sponsum clamare: Oleum effusum nomen tuum. Oleum enim lucet, pascit, et ungit. Fovet ignem, nutrit carnem, lenit dolorem: lux, cibis, medicina. Vide idem nunc et de sponsi nomine: Lucet praedica-

tum, pascit recogitatum, invocatum lenit, et ungit. Et percurramus singula. Unde putas in toto orbem tanta et tam subita fidei lux, nisi de praedicatione nominis Jesu? Nonne in hujus nominis luce Deus nos vocavit in admirabile lumen suum; quibus illuminatis, et in lumine isto videntibus lumen, dicat merito Paulus: Fuisistis aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino? **R.** Sperent in te, qui novaverunt nomen tuum: * Quoniam non dereliquisti quaerentes te, Domine. **V.** Exsurge, Domine, adjuva nos, et libera nos propter nomen tuum. **Quoniam.**

Lectio v.

Hoc denique nomen coram regibus et gentibus, et filiis Israel portare iussus est idem Apostolus, et portabat nomen tamquam lumen, et illuminabat patriam, et clamabat ubique: Nox praecessit, dies autem appropinquavit. Abjiciamus ergo opera tenebrarum, et induamur arma lucis, sicut in die honeste ambulemus. Et monstrabit omnibus lucernam super candelabrum, annuntians in omni loco Jesum, et hunc crucifixum. Quomodo lux ista resplenduit, ac perstrinxit cunctorum intuentium oculos, quan-

do de ore Petri, tamquam fulgur egrediens, claudis unius corporales plantas solidavit et bases, multosque spiritaliter caecos illuminavit? numquid non ignem sparsit, cum ait: In nomine Jesu Christi Nazareni surge, et ambula?

R. Confiteamur nomini tuo magno: * Quoniam terribile et sanctum est. **V.** Hi in curribus; et hi in equis, nos autem in nomine Domini Dei nostri invocabimus. **Quoniam.**

Lectio vi.

Nec tantum lux est nomen Jesu, sed est et cibis. An non toties confortaris, quoties recordaris? Quid aequae mentem cogitantis impinguit? Quid ita exercitios reparat sensus, virtutes roborat, vegetat mores bonos atque honestos, castas fovet affectiones? Aridus est omnis anima cibis, si non oleo isto infunditur. Inspidus est, si non hoc sale conditur. Si scribas, non sapit mihi, nisi legero ibi Jesum. Si disputes, aut conferas, non sapit mihi, nisi sonuerit ibi Jesus. Jesus mel in ore, in aure melos, in corde jubileum. Sed est et medicina. Tristatur aliquis nostrum? veniat in cor ejus Jesus, et inde saliet in os. Et ecce ad exortum nominis lumen, nubilum omne

diffugit, redit serenum. Labitur quis in crimen? currit insuper ad laqueum mortis desperando? Nonne, si invocet nomen vita, confestim respirabit ad vitam?

¶ Latentur omnes, qui sperant in te, Domine, in aeternum exultabunt, et habitabis in eis, et gloriabuntur in te omnes. Qui diligunt nomen tuum.

¶ Domine, in lumine vultus tui ambulabunt, et in nomine tuo exultabunt tota die. Qui. Gloria Patri. Qui.

In tertio Nocturno.

Añ. Cantate Domino, et benedicite nomini ejus: annuntiatae de die in diem, salutare ejus.

Añ. Secundum nomen tuum Deus, sic et laus tua in fines terrae: justitia plena est dextera tua.

Añ. Cantate Deo, psallunt dicite nomini ejus: iter facile ei, qui ascendit super oceanum, Domini nomen illi.

¶ Afferte Domino gloriam et honorem. ¶ Afferte Domino gloriam nomini ejus.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vij. c. 2. b

In illo tempore: Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer: vocatum est nomen ejus Jesus. Et reliqua.

Homilia sancti Bernardi Abbatis.

Sermone 1. de Circumcisione.

Macrum et mirabile sacramentum! Circumciditur puer, et vocatur Jesus. Quid sibi vult ista connexio? Circumcisio nempe magis salvandi, quam Salvatoris esse videtur: et Salvatorem circumcidere potius decet quam circumcidi. Sed agnosce mediatorem Dei et hominum, qui ab ipso nativitate sua exordio divinis humana sociat, ima summis. Nascitur ex muliere, sed cui foecunditatis fructus sic accedit, ut non decedat flos virginitalis. Pannis involvitur: sed panni ipsi angelicis laudibus honorantur. Absconditur in praesepio: sed proditur radiante stella de caelo. Sic

suscepta probat humanitatis; et nomen quod est super omne nomen, gloriam indicat majestatis. Circumciditur tamquam verus Abraham filius: Jesus vocatur tamquam verus Filius Dei.

¶ Tribulationem et dolorem invenit: Et nomen Domini invocavi. ¶ Turris fortissima nomen Domini, in ipso speravi, et adjutus sum. Et nomen.

Benedictio, Divinum auxilium.

Lectio viij.

Nequè enim adinstar priorum meus iste Jesus nomen vacuum aut inane portat. Non est in eo magni nominis umbra, sed veritas. Coelitus siquidem inditum nomen Evangelista testatur, quod vocatum est ab Angelo, priusquam in utero conciperetur. Et attende verbi profunditatem: Postquam natus est Jesus, Jesus vocatur ab hominibus, qui vocatus est ab Angelo, priusquam in utero conciperetur. Idem quippe et Angeli Salvator, et hominis: sed hominis ab incarnatione, Angeli ab initio creaturae. Vocatum est, ait, nomen ejus Jesus, quod vocatum est ab Angelo. In ore ergo duorum, vel trium testium stat omne verbum: et ipsum, quod in propheta abbreviatum est, manifestius in Evangelio legitur caro factum.

¶ Expectabo nomen tuum, Domine, ¶ Quoniam bonum est in conspectu sanctorum tuorum. ¶ Ut consitemur nomini sancto tuo, et glorietur in laude tua. Quoniam. Gloria Patri. Quoniam.

Lectio ix. de Dominica ij. Epiph.

¶ Si vero hoc Festum transfertur in aliam diem non habentem Lectionem propriam alienius Sancti simpliciter, dicitur

Lectio ix.

Merito sane, dum circumciditur puer, qui natus est nobis, Salvator vocatur: quod videlicet ex hoc jam coeperit operari salutem nostram, immaculatum illum pro nobis sanguinem fundens. Neque enim jam querere est Christianis, cur voluerit Dominus Christus circumcidi. Propter hoc siquidem circumcisus est, propter quod natus, propter quod passus. Nihil horum propter se, sed omnia propter electos. Non in peccato genitus, nec a peccato circumcisus, nec mortuus est pro peccato suo: magis autem propter delicta nostra. Quod vocatum est, inquit, ab Angelo, priusquam in utero conciperetur. Vocatum plane, non impositum. Nempe hoc ei nomen est ab aeterno. A natura propria habet, ut sit Salvator: innatum est ei nomen hoc non inditum ab humana, vel angelica creatura.

Te Deum laudamus. 17.

AD LAUDES,

et per Horas. **Añ.**

1. Oleum effusum nomen tuum, sicut adolescentula dilexerunt te. Psalm. Dominus regnavit, cum reliquis. 18.

2. Scitote quia Dominus ipse est Deus, cujus nomen in aeternum.

3. Sitivit anima mea ad nomen sanctum tuum, Domine.

4. Benedictum nomen gloriæ tuæ, sanctum, et laudabile, et superexaltatum in sæcula.

5. Jvenes, et virgines, senes cum junioribus laudate nomen Domini, quia exaltatum est nomen ejus solius.

Capitulum. Philip. 2.

Fratres, Christus humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen: ut in nomine Jesu omne genu flectatur.

Hymnus.

Jesu, decus angelicum, In aure dulce canticum,

In ore mel mirificum, In corde nectar cœlicum.

Qui te gustant, escurrunt, Qui bibunt, adhuc sitiunt.

Desiderare nesciunt, Nisi Jesum, quem diligunt.

O Jesu mi dulcissime, Spes suspirantis animæ! Te quærunt pia lærymæ,

Te clamor mentis intimæ. Mane nobiscum Domine, Et nos illustra lûmine, Pulsa mentis caligine, Mundum reple dulcedine.

Jesu, flos Matris Virginis, Amor nostræ dulcedinis, Tibi laus, honor nominis, Regnum beatitudinis, Amen.

6. Adjutorium nostrum in nomine Domini. Qui fecit cœlum et terram.

Ad Benedictus. Añã. Dedit se, ut liberaret populum, et acquireret sibi nomen ætèrnum, allelûa.

Oratio.

Deus, qui unigenitum Filium tuum constituisti humani generis Salvatorem, et Jesum vocari jussisti: concede propitius; ut, cujus sanctum Nomen veneramur in terris, ejus quoque aspectu perfruamur in celis. Per eundem Dominum.

Deinde fit com. Dñice. Si occurrat aliquod Festum Simplex, fit de eo comm. hoc loco tantum.

Ad Primam in ß. br. dicitur. Qui natus es de Maria virgine

In ß. br. ad Primam et Completor. non additur Allelûa; sed tantum in aliis Horis.

Ad Tertiam, Añã. Scitote.

Cap. Fratres, Christus. Notandum quod, si hoc Festum transferatur post Dominicam Septuag. ad Horas ß. br. sine Allelûa dividenda erunt ad signum.

8. br. Sit nomen Domini benedictum, Allelûa, allelûa. Sit nomen. Ex hoc nunc, et usque in sæculum. Allelûa, allelûa. Gloria Patri. Sit nomen. Afferte Domino gloriam et honorem, allelûa. Afferte Domino gloriam nomini ejus, allelûa. **Ad Sextam, Añã.**

Sitivit.

Capitulum. Philip. 2.

In nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrèstrium, et inferòrum: et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris.

9. br. Afferte Domino gloriam et honorem. Allelûa, allelûa. Afferte. Afferte Domino gloriam nomini ejus. Allelûa, allelûa. Gloria Patri. Afferte. Magnificæte Dominum mecum, allelûa. Et exaltemus nomen ejus in idipsum, allelûa.

Ad Nonam, Añã.

Jvenes, et virgines.

Capitulum. Colos. 5.

Omne quodcumque facitis in verbo, aut in opere: omnia in nomine Domini Jesu Christi facite, grâtiâ agentes Deo, et Patri per ipsum.

10. br. Magnificæte Dominum mecum, Allelûa, allelûa. Magnificæte. Et exaltemus nomen ejus in idipsum. Allelûa, allelûa. Gloria Patri. Ma-

gnificæte. Adjutorium nostrum in nomine Domini, allelûa. Qui fecit cœlum et terram, allelûa. In ß. Vesperis omnia sicut in primis. 431.

Ad Magnificæ. Añã. Vocæbis nomen ejus Jesum: ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum, allelûa. **Deinde fit com. Dñice.**

DIE XIV. JANUARI.

In Festo sancti Hilarii

Episc. et Conf.

Semiduplex.

Añã. Sacèrdos. Amavit.

Oratio.

Deus, qui populo tuo ætèrnæ salutis beatum Hilarium ministrum tribuisti: presta quæsumus; ut, quod doctorem vite habuimus in terris, intercessorem habere mereamur in cœlis. Per Dominum.

Si hoc Festum venerit in Dominica, transferatur in primam diem non impeditam, et comm. cum ix. Lectione S. Felicis fit in Dominica: quod et in similibus servatur.

Com. S. Felicis Presb. et mart. Añã. Iste. Gloria.

Oratio.

Concede, quæsumus Omnipotens Deus: ut ad meliorem vitam Sanctorum tuorum exempla nos provocent: quatenus quorum solèmnia agimus, etiam actus imitemur. Per Dominum.

Ad Matutinum, in Hymno, Iste Confessor, mutatur tertius Versus.

In j. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente. In secundo Nocturno.

Lectio iv.

HILARIUS in Aquitania nobile genere natus, doctrina et eloquentia excelluit. Qui primum in matrimonio quasi monachi vitam egit: deinde propter singulares virtutes Pictavorum Episcopus creatus: quod munus episcopale sic gessit, ut a fidelibus summam laudem consequeretur. Quo tempore, cum terraribus, bonorum spoliatione, exilio, et omni crudelitate Constantii Imperator Catholicos vexaret, nisi ad Arianas partes transiret: Hilarius tamquam firmissimum murum se Arianis opponens, illorum furorē in se concitavit. Itaque multis petitis insidiis, tandem dolo Saturnini Arelatensis Episcopi, de Synodo Biterrēsi in Phrygiam relegatus est: ubi et mortuum suscitavit, et libros duodecim scripsit de Trinitate contra Arianos.

¶ Inveni David.

Lectio v.

QUADRIENNIO post coactio Concilio ad Seleuciam Isaauria urbem, Hilarius adesse compulsus est: ac deinde Constanti-

nopolim profectus, ubi extremum fidei periculum animadvertit, tribus libellis publice datis, audientiam Imperatoris poposcit, ut de fide cum adversariis coram disputaret. Verum cum Ursacius et Valens Ariani Episcopi, quos Hilarius scriptis confutarat, praesentis eruditione pertimescerent, Constantio persuaserunt, ut specie honoris eum in suum Episcopatum restitueret. Tunc Hilarium e praedio haereticorum revertentem, ut inquit sanctus Hieronymus, Galliarum Ecclesia complexa est: quem ad Episcopatum secutus est Martinus, qui postea Turonensi praefuit Ecclesia tantumque illo doctore profectus, sanctitas declaravit.

¶ Pōsui adiutorium.

Lectio vi.

MAGNA deinceps tranquillitate Pictavorum Ecclesiam administravit: Galliamque universam adduxit, ut Arianorum impietatem condemnaret. Multos libros scripsit mira eruditione: quos omnes sanctus Hieronymus ad Laetam, sine ulla erroris suspitione legi posse testatur illis verbis: Hilarii libros inoffenso decurrat pede. Migravit in caelum Idibus Januarii, Valentiano et Valente Imperatoribus, anno post Christi-

stum natum trecentesimo sexagesimo nono.

¶ Iste est qui ante.

¶ Notandum quod, si Festum S. Hilarii transferri contigerit in aliam diem non habentem Lectionem propriam alicujus Sancti Simplicis, tunc ex duabus Lectionibus tertii Nocturni fiant tres hoc modo: Lectio vij. terminatur per verba: et hoc ex duobus est unum, Lectio vij. debet inchoari: Hic igitur in omnem usum, et terminanda: aternitati corpora reservantes, Lectio ix. vero inchoatur sic: Sed natura salis, cum reliquis usque in finem: et ideo in medio duarum praedictarum Lectionum ponitur hoc signum ¶ pro Lectionibus dividendis. Alias, ut sequitur:

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthaeum.

Lectio vij. Cap. 5. b

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Vos estis sal terrae. Quod si sal evanuerit, in quo salietur? Et reliqua.

Homilia sancti Hilarii Episcopi.

Com. in Math. c. 4.

Vos estis sal terrae: quod si sal infatuatum fuerit, ad nihilum valet ad quod salietur. Sal, ut arbitror, terrae nullum est. Quomodo ergo Apostolos sal terrae nuncupavit? Sed

proprietas est querenda dictorum, quam et Apostolorum officium, et ipsius salis natura monstrabit. Sal est in se uno continens aquae et ignis elementum, et hoc ex duobus est unum. ¶ Hic igitur in omnem usum humani generis effectus, incorruptionem corporibus, quibus fuerit aspersus, impertit. Et ad omnem sensum conditi saporis aptissimus est. Apostoli autem sunt rerum caelestium praedicatorēs, et aternitatis velut satōres, immortalitatem omnibus corporibus, quibus eorum sermo aspersus fuerit, conferentes.

¶ Amavit eum Dominus, et ornavit eum, stolam gloriae induit eum: * Et ad portas paradisi coronavit eum. ¶ Insuper eum Dominus loriceam fidei, et ornavit eum. Et ad.

Lectio viij.

MERITO igitur sal terrae nuncupati sunt, per doctrinae virtutem a saliendo modo aternitati corpora reservantes. ¶ Sed natura salis semper eadem est, nec immutari unquam potest. Verum quia conversio homo subjacet, et solus beatus, qui usque ad finem in omnibus Dei operibus permanserit: ideo eos sal terrae nuncupatos monet in tradita sibi potestatis virtute per-

sistere, ne infatuati nihil saliant, et ipsi, sensu accepti saporis amisso, vivificare corrupta non possint, et projecti de Ecclesiâ promptuariis, cum his quos salierint, pedibus incenduntur proterantur. **R.** In medio Ecclesiâ aperuit os ejus, * Et implevit eum Dominus spiritu sapientiâ et intellectus. **V.** Jucunditatem et exultationem thesaurizat super eum. Et implevit Gloria Patri. Et implevit. **Pro S. Felice Presb. Mart.**

Lectio ix.

Felix Nolanus presbyter, cum in idola vehementius inveheretur, ab infidelibus varie vexatus, in carcerem conjicitur. Unde ab Angelo nocte eductus, quærere jussus est Maximianum Nolæ Episcopum: qui, cum senio confectus desperaret, se ferre posse supplicia persequentium, se abdidit in silvam. Quo cum Felix Deo dace pervenisset, sanctum Episcopum humi jacentem pene mortuum vidit: quem recreatum, ac sublatum in humeros, apud fidem viduam reficiendum curavit. Sed cum is iterum idolorum cultores impietatis argueret, factu in ipsum impetu fugiens in angusto duorum parietum intervallo se occultavit. Qui aditus cum repente aranearum

telis pertextus visus esset, nemini recentis latebræ suspensionem reliquit. Inde igitur evadens Felix, in edibus pia mulieris tres menses latuit. Cum vero Dei Ecclesiâ requiescere cœpisset, Nolam rediens, multisque ibi vitæ exemplis, et doctrinâ præceptis, miraculisque ad Christi fidem conversis, constanter etiam recusato ejus urbis Episcopatu, obdormivit in Domino, sepultusque est prope Nolam in loco, quem in Pincis appellabant.

Te Deum laudamus. 17.

In Laud. fit com. S. Felicis Mart. Añ. Qui odit. **V.** Justus. **Oratio.** Concede. 439.

Vespera de seq. comm. præc. ac S. Mauri Abb.

DIE XV. JANUARI.
In Festo sancti Pauli primi

Oratio. Eremita.

Omnia de Comm. Confessoris non Pontif. Ixix. præter sequentia.

In Hym. ste Confessor, mutatur tertius Versus.

Oratio.

Deus, qui nos beati Pauli Confessoris tui annua solemnitate lætificas: concede propitius; ut, ejus natalitia cõlimus, etiam actiones imitemur. Per Dominum.

Pro comm. S. Hilarii. Añ. Amavit eum Dominus, et ornavit eum: sto-

lam gloriâ induit eum; et ad portas paradisi coronavit eum. **V.** Elegit eum Dominus sacerdotem sibi. **R.** Ad sacrificandum ei hostiam laudis. **Oratio.** Deus qui populo. 469.

Deinde pro commemor. S. Mauri Abbatis. Añ. Euge serve bone et fidelis, quia in pauca fuisi fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui. **V.** Justum deduxit Dominus per vias rectas. **R.** Et ostendit illi regnum Dei.

Sed si Festum S. Pauli transferatur ob Festum altioris ritus, non variantur Añæ et V. sed dicuntur ut in eodem Communi. Oratio.

Intercessio nos, quæsumus Domine, beati Mauri Abbatis commendat: ut, quod nostris meritis non valémus, ejus patrocinio assequámur. Per Dominum nostrum.

In j. Nocturno Lectiones de Scriptura occurr.
In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Paulus, Eremitarum pauctor et magister, apud inferiorem Thebaidem natus, cum quindécim esset annorum, orbatu parentibus, declinans causa persecutionis Decii et Valeriani, et Deo libèrius inserviendi, in eremi speluncam se contulit: ubi palma ei vi-

etum et vestitum præbent, vixit ad centesimum et decimum tertium annum, quo tempore ab Antonio nonagenario Dei admõnitu invisitur. Quibus inter se, cum antea non nossent, proprio nomine consulantibus, et multa de regno Dei colloquentibus, corvus, qui antea semper Paulo dimidiatum panem attulerat, integrum detulit. **R.** Honestum

Lectio v.

Post corvi discessum, Peja, inquit Paulus, Dominus nobis prandium misit, vere pius, vere misericors. Sexaginta jam anni sunt, cum accipio quotidie dimidii panis fragmentum, nunc ad adventum tuum militibus suis Christus duplicavit annõnam. Quare cum gratiarum actione ad fontem capientes cibum, ubi tantisper sunt recreati, iterum gratis de more Deo actis, noctem in divinis laudibus consumpsérunt. Diluculo Paulus de morte quæ sibi instaret, admonens Antonium, hortatur, ut pallium, quod ab Athanasio acceperat, ad involvendum suum corpus esset annorum, orbatu parentibus, declinans causa persecutionis Decii et Valeriani, et Deo libèrius inserviendi, in eremi speluncam se contulit: ubi palma ei vi-

R. Amavit eum.

Lectio vi.

CUMQUE ad ejus cellam pervenisset, invenit genibus complicatis, erecta cervicē, extensisque in altum manibus corpus exanime: quod pallio obvolvens, hymnosque et Psalmos ex christiana traditione decantans, cum sarculum, quo terram foderet, non haberet, duo leones ex interiore eremo corpus seruntur: ut facile intelligeretur, eos, quo modo poterant, ploratum edere: qui certatim terram pedibus effodiētes, foveam, quæ hōminem commode caperet, effecerunt. Qui cum abiissent, Antonius sanctum corpus in eum locum intulit, et injecta humo, tumulum ex christiano more composuit: tunicam vero Pauli, quam in sporta modum ex palmae foliis ille sibi contexerat, secum auferens, eo vestitu diebus solēmnibus Paschæ et Pentecostes, quoad vixit, usus est. ¶ Iste homo.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. c. 41. d.

In illo tempore: Respondens Jesus dixit: Confiteor tibi Pater, Domine celi et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Et reliqua.

Homilia sancti Augustini Episcopi.

Serm. 10. de Verb. Dom.

VENITE ad me omnes qui laboratis. Quare enim omnes laboramus, nisi quia sumus homines mortales, fragiles, infirmi, lutea vasa portantes, quæ faciunt invicem angustias? Sed si angustiantur vasa carnis, dilatentur spatia charitatis. Quid ergo diripit, Venite ad me omnes qui laboratis, nisi ut non laboretis? Denique promissio ejus in promptu est, quoniam laborantes vocavit. Querent forte, quæ mercede vocati sunt. Et ego vos, inquit, reficiam. Tollite jugum meum super vos, et discite a me, non mundum fabricare, non cuncta visibilia et invisibilia creare, non in ipso mundo mirabilia facere, et mortuos suscitare; sed, Quoniam mitis sum, et humilis corde.

¶ Iste est qui ante Deum magnas virtutes operatus est, et de omni corde suo laudavit Dominum: * Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum. ¶ Ecce homo sine querela, verus Dei cultor, abstinens se ab omni opere malo, et permanens in innocentia sua. Ipse.

Lectio viij.

Magnus esse vis? a minimo incipe. Cogitas magnam fabricam con-

strudere celsitudinis? de fundamento prius cogita humilitatis. Et quantam quisque vult, et disponit superimponere molem ædificii, quanto erit majus ædificium, tanto alius fudit fundamentum. Et fabrica quidem cum construitur, in superna consurgit: qui autem fudit fundamentum, ad imadepimitur. Ergo et fabrica ante celsitudinem humiliatur, et fastigium post humilitationem erigitur.

¶ Sint lumbi vestri præcincti, et lucerna ardentes in manibus vestris: * Et vos similes hominibus expectantibus dominum suum quando revertatur a nuptiis. ¶ Vigilate ergo, quia nescitis quæ hora Dominus vester venturus sit. Et. Gloria Patri. Et.

Pro S. Mauro Abbate.

Lectio ix.

MAURUS nobilis Romanus, puer a patre Eutycho Deo sub sancti Benedicti disciplina oblatas, brevi tantum divina gratia profecit, ut ipsi magistro admirationi esset: qui illum sæpe veluti regularis observantia, et virtutum omnium specimen, ceteris discipulis ad imitandum proponebat. Cujus adhuc adolescentis illud admirabilis obedientia exemplum a sancto Gregorio Papa commemoratur. Nam cum Placidus monachus in la-

cum prolapsus, aquarum impetu raperetur, sancti patris jussu accitrens Maurus, et super aquas incedens, socium capillis apprehensum, ad terram attraxit. Missus in Galliam ab eodem sancto Benedicto, celebri monasterio extructo, cui annos quadraginta præfuit, monasticam disciplinam mirifice propagavit. Denique sanctitate et miraculis clarus, septuagenario major migravit in celum, anno salutis quingentesimo sexagesimo quinto.

¶ Si vero Festum S. Pauli transferatur in aliam diem non habentem Lectionem propriam alicujus Sancti Simplicis, dicitur

Lectio ix.

Quoniam est fastigium constructæ fabricæ, quæ molitur? quo perventuri est caedem adificii? Cito dico: Usque ad conspectum Dei. Videtis quam excelsum est, quanta res est conspiciere Deum. Qui desiderat, et quod dico, et quod audit, intelligit. Promittitur nobis conspectus Dei, veri Dei, summi Dei. Hoc enim bonum est, videntem videre. Nam qui colunt falsos deos, facile illos vident, sed eos vident, qui oculos habent, et non vident. Nobis autem promittitur visio Dei viventis, et vidētis. Et Deum laudamus, 47.

In Laud. pro com. S. Mauri Abbatis, Ana. Similabo eum viro sapienti, qui edificavit domum suam supra petram. * Amavit eum Dominus, et ornavit eum. * Stola gloria induit eum.

Orat. Intercessio. 465.

In j. Vesp. fit com. seq.

DIE XVI. JANUARI.

In Festo S. Marcelli

Papa et martyris.

Semiduplex.

Omnia de Communi

us Martyris. xxj. præter

ter sequentia.

Oratio.

PRECES populi tui, quæsumus Dómine, clementer exaudi: ut beati Marcelli martyris tui atque Pontificis meritis adjuvemur, cujus passione lætamur: Per Dóminum.

In j. Nocturno Lectiones

de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno:

Lectio iv.

MARCELLUS Románus a Constantio et Galerio usque ad Maxéntium Pontificatum gessit. Cujus hortatu Lucina matróna Romána, bonórum suórum Dei Ecclesiam fecit heredem. Viginti quinque titulos in Urbe instituit, quasi dioceses quasdam, et ad baptismum penitentiamque eórum, qui ex infidelibus christianam religionem suscipere, et ad Martyrum sepulcrum. Quibus rebus ira incen-

sus Maxéntius, Marcello gravia supplicia minatur, nisi, depósito Pontificatu, idólis immolaret.

* Honéstum fecit.

Lectio v.

Qui cum insanas hóminis voces negligeret, misit eum in catábulum, ut bestiárum, quæ públicealebantur, curam sustineret. Ubi Marcellus assiduis jejuniis et précibus novem menses vitam duxit, paróchias, quas præsens non poterat, visitans per epístolas. Inde eréptus a clericis, hospitio recipitur a beata Lucina: in cujus aedibus Ecclesiam dedicavit, quæ hódie titulo sancti Marcelli nominatur: in qua et Christiani orábant, et ipse beatus Marcellus prædicabat. * Desiderium.

Lectio vj.

Quius ógnitibus, Maxéntius in eam Ecclesiam catábuli bestias transferri, et a Marcello custodiri jubet: ubi loci fœditate, multisque arúmmis afflictus, obdormavit in Dómino. Cujus corpus in coemeterio Priscille via Salária a beata Lucina sepultum est decimo séptimo Kalendas Februarii. Sedit annos quinque, mensem unum, dies viginti quinque. Scripsit epístolam ad Episcopos Antiochenæ provincie de primatu Románæ Ecclesie,

quam caput Ecclesiarum appellandam demonstrat. Ubi etiam illud scriptum est, nullum Concilium sine auctoritate Romani Pontificis. Ordinavit mense Decembris Romæ Presbyteros viginti quinque, Diáconos duos, Episcopos per diversa loca viginti unum.

* Stola jucunditatis.

In j. Nocturno Hom. in

Evang. Si quis vult post

me venire. l. 1000. xxxiv.

* vij. Dómine, præveni-

nisti. xxx.

Vespera de sequenti

com. præcedentis.

DIE XVII. JANUARI.

In Festo S. Antonii

Abbatis.

Duplex.

Omnia de Communi

Confessoris non Pontificis.

lxx. præter sequentia.

Oratio.

INTERCESSIO nos, quesumus Dómine, beati Antonii Abbatis commendet: ut, quod nostris meritis non valémus, ejus patrocinio assequamur. Per Dóminum.

Deinde fit com. S. Marcelli, Ana. Qui vult. * Justus. Oratio. Preces populi tui, ut 466.

In j. Noct. Lectiones de Script. occur.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

ANTONIUS Egyptius, nobilibus et christianis parentibus natus, quibus

adolescens orbatus est, cum ingressus Ecclesiam ex Evangelio audivisset: Si vis perfectus esse, vende, et vende omnia quæ habes, et da pauperibus; tanquam ea sibi dicta essent, sic Christo Dómino obtemperandum existimavit. Itaque, vendita re familiarum pecuniam omnem pauperibus distribuit. Quibus solutus impedimentis, cœlestis vite genus in terris colere instituit. Sed cum in periculosum illud certamen descendere, ad fidei præsidium, quo erat armatus, adhibendum sibi putavit subsidium reliquarum virtutum: quarum tanto studio incensus fuit, ut quemcumque videret aliquam virtutis laudem excellentem, illum imitari studeret. * Honéstum fecit.

Lectio v.

Nihil legitur eo continentius, nihil vigilantius erat. Patientia, mansuetudine, misericordia, humilitate, labore, ac studio divinorum Scripturarum superabat omnes. Ab hæreticorum et schismaticorum hóminum, maxime Ariano, congressu et colloquio sic abhorrebat, ut ne prope quem ad eos accedendum diceret. Humi jacebat, cum eum necessarium somnus occupasset. Jejuniis autem adeo

cóluit, ut salem tantúm modo ad panem adhiberet, sítam aqua extingueret: neque se ante solis occásum cibo aut potu recreábat, saepe etiam biduum cibo abstinébat: sæpissime in oratione pernoctabat. Cum talis tantusque Dei miles evasisset Antónius, sanctissimum juvenem hostis humáni géneris variis tentationibus aggréditur, quas ille jejúnio et oratione vincébat. Nec vero frequens de sátana triumpus securum reddébat Antónium, qui diaboli innumerabiles artes nocéandi nóverat.

Amávit eum.

Lectio vj.

TAQUE cónsulit se in vastissimam Egypti solitudinem: ubi quotidie ad christianam perfectionem proficiens, demones (quorum tanto erant acriores impetus, quanto Antónius ad resistendum fortior evadébat) ita contempsit, ut illis exprobráret imbecillitatem: ac sepe discipulos suos excítans ad pugnándum contra diabolum, docénsque quibus armis vincerétur: Mihi crédite, dicebat, fratres, pertimésit sátanas píorum vigilias, orationes, jejúnia, voluntáriam paupertátem, misericórdiam, et humilitátem, máxime vero ardéntem amórem

in Christum Dóminum, cujus único sanctissimæ Crucis signo debilitatus aufugit. Sic autem dæmónibus erat formidolósus, ut multi per Egyptum ab illis agítati, invocáto nómine Antónii, liberaréntur: tantaque erat ejus fama sanctitátis, ut per líteras se ejus orationibus Constantinus Magnus et filii commendárent. Qui aliquándó quintum et centésimum annum agens, cum innumerabiles sui Institúti imitatóres haberet, convocáti monachis, et ad perfectam christiánæ vitæ régulam instructis, sanctitáte et miraculis clarus migrávit in cælum, décimo sexto Kaléndas Februarii.

Iste homo.

In iij. Nocturno Homilia in Evang. Sint lumbi, de Communt. lxxvij.

Vesperæ de sequenti, cum commemorat, infra assignatæ.

DIE XVIII. JANUARII. In Festo Cathedrae S. Petri, quæ tertia primus sedit.

Duplex major.

Omnia de Comm. Confessoris Pont. Ij. præter sequentia.

Ad Vesperas. Hymnus.

Q UONIAMQUE in orbe nobis revincheris,

Erit revinctum, Petre, in arce siderum;

Et quod resólvit hic potestas tráditæ,

Erit solútum cœli in alto vértice:

In fine mundi judicábis sæculum.

Patri perenni sit per ævum glória,

Tibique laudes concinámus inelytas;

Ætérne Natæ; sit superne Spiritus;

Honor tibi decúsque: sancta júgiter

Laudétur omne Trinitas per sæculum, Amen.

Tu es Petrus. Et super hanc petram edificabo Ecclesiám meám.

Ad Magnificat. Ant. Tu es pastor óvium,

princeps Apostolorúm, tibi tráditæ sunt claves regni cœlorum.

Oratio. Deus, qui beato Petro

Apostolo tuo, colláti clavibus regni cœlestis, ligándi atque solvéndi pontificium tradidisti: concéde, ut intercessiónis ejus auxilio, a peccatórum nostrórum nexibus liberémur. Qui vivis.

Deinde sit commem. S. Pauli ante alias quascunque memem., etiam Festi Duplicis, aut Dominicæ. Quod et servatur in comm. S. Petri, qua fit in Festis S. Pauli. Ant.

Sancte Paule Apostole, prædicátor veritátis, intercede pro nobis ad Deum, qui te elégit.

Tu es vas electiónis, sancte Paule Apó-

stole. Prædicátor veritátis in universo mundo.

Oratio. Deus, qui multítudinem Géntium beati Pauli Apóstoli prædicatiónedocuvisti: da nobis quesumus; ut, cujus commemoratiónem cólimus, ejus apud te patrocinia sentiamus.

Postea fit comm. S. Antonii. Ant. Hic vir. et Justum. Oratio. Intercessio. 467.

Postremo fit comm. S. Priscæ virg. et mart. Ant. Veni sponsa. et Spécie.

Oratio. Deus, quæsumus omnípotens Deus: ut, qui beatæ Priscæ virginis et mártiris tuæ natalitia cólimus, et ánnua solemnitate lætémur, et tanta fidei proficiamus exémplo. Per Dóminum.

Ad Matutinum. Invitat. Tu es pastor óvium, princeps Apostolorúm: Tibi tradidit Deus claves regni cœlorum. Ps. Venite. 2.

Hymnus. Quodcumque, ut 468.

Incipit Epistola prima beati Petri Apóstoli.

Lectio j. Cap. I.

PETRUS Apóstolus Jesu Christi, eléctis advenis dispersionis Ponti, Galatiæ, Cappadóciæ, Asiæ, et Bithyniæ, secundum præsciéntiam Dei Patris, in sanctificationem Spiritus, in obediéntiam, et